

bilis causa celebrare suaderet, v. g., circumstantia alicujus festi, et abesset scandalum.

Cardinales, episcopi, et abbates usum pontificalium habentes, jus habent celebrandi cum quatuor candelis: id vero aliis non permittitur, nec etiam vicariis generalibus, nisi solemnitas officii postulet; Decretum Congr. Rit. 7 augusti 1627.

Candelabra et ipsæ candelæ nulla indigent benedictione, ut expresse advertit *S. Ligorius*, l. 6, n. 395, quia requiruntur tantum ad decentiam, et ita fert usus ubique receptus.

Tabulæ secretarum, vulgo *les cartons d'autels*, non sunt de præcepto.

Mundities altarium. Altaria in quibus divinum celebratur sacrificium, nitida semper esse debent: igitur scopis undequaque reverenter mundanda sunt, et mappæ sat frequenter mutandæ ut nunquam appareant sordidæ. Ut a pulvere, cera aliave qualibet sorde custodianur mundæ, finitis missis, contegendæ sunt panno viridi, aut aliis stragulis ad mensuram altarium factis.

Si fides auctori *Prati spiritualis*, in initio septimi sæculi scripti, adhibeatur, singula altaria consecrata Angelum Custodem habent, sicut singulæ ecclesiæ Deo dicatæ: hæc consideratio novum subministrat motivum ea servandi munda, et non permittendi ut aliquid indecens, profanum, ad cultum divinum non attinens, in illis deponatur.

Floribus veris et fictis, pro temporum varietate, ornari decet altaria; sed vas florum aut quid simile ante ostium tabernaculi in quo depicta est imago Domini nostri Jesu Christi non est collocandum, ut declaravit *S. Cong. Rit.* 22 januarii 1701, nec etiam super tabernaculum, quia debet esse *ab omni re vacuum*, juxta Pontificale romanum.

Nihil obstat quominus statuæ aut imagines sanctorum et capsæ reliquiarum in gradibus altaris, SS. Sacramento non exposito, collocentur, non autem supra tabernaculum in quo asservatur *S. Eucharistia*.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE VASIS SACRIS ET OBJECTIS AD EA ATTINENTIBUS.

Vasa sacra sunt calix, patena, ciborium et ostensorium; objecta ad vasa sacra attinentia sunt corporale, palla et purificatorium. De singulis, quantum potuerimus, breviter dicturi sumus.

§ I.— Calix et patena.

1° Constat Christum in ultima cœna calicem adhibuisse et extra omne dubium est illius usum in oblatione divini sacrificii Eucharistiæ semper exstitisse. In primis temporibus calices sæpe fuerunt lignei, vitrei, lapidei, stannei, ut ostendunt *Grancolas*, *Bened. XIV*, de Missæ sacrif. l. 1, cap. 4, etc. Non raro tamen erant argentei, aurei et etiam gemmis ac picturis ornati, ut patet testimoniis *Tertul.*, lib. de Pudicitia, cap. 7 et 10, *S. Chrysost.*, etc.

2° Sed a multis sæculis obsolevit usus calicum ligneorum, propter porositatem; vitreorum vel ex crystallo, propter fragilitatem; ex cupro, ære vel aurichalco, propter æruginem: et in Decreto, parte 3, dist. 1, can. 45, præcipitur « ut calix Domini, cum patena, si non ex auro, » omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, » saltem et stanneum calicem habeat. » Nunc apud nos calices stannei stricte prohibentur, et ab omnibus ecclesiis exigitur ut habeant calicem cujus saltem cuppa sit ex argento interius auro limita. Permittuntur calices ex gemma quæ sæpe pretiosior est quam aurum.

3° Cum olim in multis ecclesiis magna vini quantitas consecranda esset, ut omnes sub ea specie communicare possent, vel plures in altari ponebantur calices, vel unus, sed amplus et ansatus, ut facilius moveri et deferri posset. *Anastasius Bibliothecarius*, in Vita Leonis III, memorat calicem quinquaginta et octo librarum, et in Vita Gregorii III, alterum ponderis triginta et quatuor librarum.

Patena, sic dicta quia quod in ea est patet et non est oclusum sicut vinum in calice, olim tantæ erat amplitudinis ut species pro tota multitudine consecrandas conti-

neret : nunc modicus est discus, saltem argenteus, et auro in concava superficie bene liatus. In casu necessitatis episcopus permittere posset usum calicis et patenæ ex stanno.

4° Necessè est ut calix et patena ab episcopo cum sancto chrismate consecrentur, juxta formam in Pontificali Romano statutam : ita omnes, universali consuetudine, argumentis ex jure canonico deductis et pluribus S. Congr. Rit. decretis innixi. Hæc autem consecratio ad ordinem episcopalem pertinet : unde quilibet episcopus hæc vasa semper valide consecrat, etiam quando ea consecrando peccat.

5° Abbates tamen alique prælati usum Pontificalium habentes, calices et patenas ex privilegio consecrare possunt pro suis duntaxat ecclesiis : *Ferraris, vº Calix, n. 5.*

6° Cum illa calicum et patenarum consecratio sit tantum institutionis ecclesiasticæ, facultas eam faciendi a summo Pontifice simplicibus presbyteris procul dubio committi potest, et reipsa non semel commissa est sicut facultas altaria portatilia consecrandi.

7° Qui missam sine calice apto et consecrato celebraret, mortaliter peccaret, quia praxi Ecclesiæ in materia gravi adversaretur. Plures contenderunt calicem ad sacrificium idoneum solo contactu specierum sacrarum consecrari : unde calix quo sacerdos ex bona vel mala fide ad celebrandam missam usus fuisset, alia consecratione non indigeret. Verum alii longe communius et probabilius negant : falsum quippe est sacras species per solum contactum rem aliquam consecrare, alioquin eadentes in pavementum, illud consecrarent : aliunde, ut consecratio sit valida, requiritur ut impleantur conditiones ab ecclesia determinatæ, videlicet preces, unctiones, etc. Ergo.

8° Calix et patena suam amittunt consecrationem per fractionem ; si nempe patena ita sit fracta ut hostiam decenter continere nequeat, et si cuppa calicis a pede per fracturam sit separata, ita ut ad usum propter quem fuit consecratus non remaneat idoneus. Quando vero pes a cuppa sine fractione separatur, ut in calice tornatili, con-

secratio non amittitur. Si in fundo fiat foramen quantumvis exiguum, est exsecratus.

9° Calix et patena suam inaurationem per usum diuturnum amittentes, non ideo consecrationem suam perdunt, quia hæc objecta secundum se fuerunt consecrata et eadem sunt moraliter. *Ita communissime doctores.*

10° At cum in nova inauratione addatur aurum non consecratum, corpus et sanguinem Christi immediate tacturum, quod excellentior est pars calicis aut patenæ, multi contendunt nova consecratione opus esse : hanc sententiam fortiter tuetur *Ferraris* cum *Suarez*, *Vasquez*, *Barbosa* et plurimis aliis. *S. Ligorius*, l. 6, n. 370, dub. 2, in fine, qui oppositam admiserat opinionem ut probabilior, declarat se, remelius perpensa, judicare calicem post inaurationem denuo consecrandum esse, et affert rationem superius expositam. *Romsée* inaurationem calicis dealbationi ecclesiæ comparat, sed immerito, ut nobis videtur ; dealbatio enim murorum consecratorum a nemine habetur ut pars excellentior, secus vero inauratio calicis aut patenæ. In Rituali nostro nova in hoc casu præscribitur consecratio, et tandem S. Rit. Cong., die 14 junii 1845, ad episc. Leodiensem respondens, ait : *Calix et patena suam amittunt consecrationem per novam deaurationem et sic indigent nova consecratione.*

Ex decisione S. R. C. 22 aprilis 1822, non sunt exsecranda antequam tradantur artifici.

11° Qui ob solam paupertatem utitur calice non inaurato, ab omni peccato excusatur, seclusa speciali episcopi prohibitione ; imo in eo casu licet uti calice stanneo non inaurato, vel æneo aut cupreo bene aurato, ita ut ærugo non timenda sit : at, extra magnam paupertatem, peccatum esset saltem veniale, ut docent *de Lugo*, *Tourneley*, *S. Ligorius*, etc. Utendo calice argenteo olim inaurato, sed cujus inauratio omnino aut fere omnino deleta est, non ita facile graviter peccatur ac si calix nunquam fuisset inauratus, quia non tanta est irreverentia.

12° Soli presbyteri et diaconi, in gratia sanctificante constituti, vasa sacra eucharisticas species continentia li-

cite tangere possunt : cæteri vero, ut communiter docent auctores, mortaliter peccarent ea tangendo ; Decr. part. 1, dist. 23, can. 26, 30, 31 et 32. Vide *Ferraris*, v^o *Vasa*, n. 8 ; *S. Ligorius*, l. 6, n. 382. Similiter presbyteri et diaconi peccati mortalis rei qui, absque reconciliatione cum Deo, vasa sacra divinam Eucharistiam continentia tangerent, a novo peccato et probabiliter mortali excusari non possent ; gravis enim esset indecentia erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.

Subdiaconi, vi suæ ordinationis et acolythi ministrantes, ex can. 32, dist. 23, 1 partis Decreti, vasa sacra vacua tangere possunt. Sic *Ferraris*, *S. Ligorius*, *Bened. XIV*, Inst. 29, n. 18, cum ea differentia quod subdiaconi ea ubique, etiam in altari functiones sui ordinis solemniter exercentes, et acolythi solum in sacristia, quando ea quæ ad missam necessaria sunt præparare debent. « Tandem » diuturna consuetudine factum est, inquit *Bened. XIV*, » *ibid.*, ut ordinati omnes, et qui sola tonsura præditi sunt, » si aliqua causa intercedat, sacra vasa dum vacua sunt, » extra altaris ministerium contingant. »

13^o Laici et feminae etiam moniales, absque necessitate aut rationabili causa, vasa sacra vacua manu nuda tangerentes, secluso contemptu et scandalo, venialiter tantum peccant : peccant quidem, saltem probabilius, quidquid nonnulli dicant, quia universali Ecclesiæ consuetudini adversantur, sed venialiter tantum, ut voluit *Suarez*, *Layman*, *La Croix*, *Ferraris*, *S. Ligorius* et generaliter alii.

14^o Cum autem non solum necessitas, sed rationabilis causa a veniali, ubi de infractione legis positivæ agitur, excuset, communiter infertur calices, patenas, corporalia, et purificatoria tangere posse : 1^o religiosos laicos ad servitium missarum et sacristiæ deputatos ; 2^o moniales sacristinas ; 3^o sorores Charitatis in parochiis ruralibus, ad hæc objecta sacra lavanda, mundanda, etc., quando parochus, vicarius aut aliquis in sacris ordinibus constitutus id facere non potest ; 4^o quemlibet sacristam ad corporale aliudve objectum sacrum accersendum, in casu urgente, si

illud mediante corpore non consecrato afferre nequeat, etc. Convenientius est tamen, ob majorem reverentiam erga res sacras, licentiam ab episcopo aut vicario ejus generali obtinere ; et talis est usus communis.

15^o Qui mortali peccato inquinati vasa sacra vacua tangunt, irreverentiæ fiunt rei, et sub hoc respectu, secluso contemptu, venialiter peccant.

16^o Vasa sacra ad usus profanos convertere vel adhibere, v. g., calicem ad bibendum in mensa, corporale vel purificatorium ad nares purgandos, etc., mortale est peccatum, quia gravis est irreverentia ac contemptus, ipso jure naturali et pluribus juris ecclesiastici capitibus prohibitus. Imo laicus hoc faciens excommunicatur, et ecclesiasticus deponitur ; *Ferraris*, v^o *Vasa sacra*, n. 16.

Attamen, urgente necessitate, calices, patenæ, ciboria aliaque vasa sacra vendi possunt : si personis ecclesiasticis vel aurificibus et ad usum ecclesiarum vendantur, tradi possunt integra ; si ad usus profanos, prius frangenda sunt, ne sancta ab aliis quam a ministris Ecclesiæ tractentur.

§ II. — Ciborium et ostensorium.

1^o Ciborium, sic dictum a spirituali cibo quem continet, dicitur etiam turris, propter formam rotundam, et frequentius pyxis, gallice *boîte*. Propter reverentiam Sacramento debitam debet esse mundum, aureum vel argenteum intus deauratum, proprio operculo parvam crucem in summitate habente coopertum, et insuper pallio pretioso apte elaborato involutum. Sic apud nos præscribitur in Rituali et in statutis synodalibus.

2^o Nulla tamen lege generali præcipitur ut ciborium ejusdem sit materiæ ac calix et patena, nec ut intus dearetur : attendenda et sequenda sunt igitur statuta uniuscujusque diocesis. Si vas istud ex inferiori materia conficiatur et intus non dearetur, in illo ponendum est vas lineum corporali simile : sed amyllum quo liniendum est illud linteum, quædam generare solet animalia, ut notat *Gavantus*. Curare ergo debent episcopi aliique supe-

riores ecclesiastici ut, quantum fieri potest, ciboria semper sint argentea intus bene deaurata, ad particulas facile dignoscendas.

Venerabilis *Boudon*, archidiaconus Ebroicensis, ciboria cum operculo eis commissura annexo excogitaverat, ut particulae ex hostiis, dum communio distribuitur, decedentes, in ipsum caderent operculum et non perirent: at experientia constat eas in calaturas vel commissuras cadere et difficile colligi posse: multo magis expedit ut operculum omnino removeatur, et communio non detur quin adhibeatur patena particulas decedentes susceptura.

3° Præter ciboria ad continendam et asservendam sacram Eucharistiam destinata, aliud parvum habendum est vas ejusdem materiae, formæ et decentiæ, ut divinum Sacramentum ad ægrotos deferatur.

4° Lunula in qua continetur formula consecrata ut sanctissimum exponatur Sacramentum, debet esse argentea et deaurata, sicut ciboria, et non aliter.

5° Hæc vasa cum oleo sancto non consecrantur, sed ab eo qui habet facultatem ornamenta sacerdotalia benedicendi, benedici possunt. Plurimi graves auctores arbitrantur hanc benedictionem non esse de præcepto; alii vero probabilius docent eam esse præceptam, sed tantum sub veniali. Vide *S. Ligorium*, l. 6, n. 385. Lunula ad expositionem Sacramenti destinata benedicitur, sed nullum est præceptum benedicendi ostensorium, quod tamen laudabiliter, inquit *Romsée*, benedici potest ea formula qua benedicitur ciborium.

6° Omnes tangere possunt illa vasa etiam benedicta quamdiu non servierunt; sed postquam servierunt, non magis ea tangere licet quam calices et patenas, excepto ostensorio, quando lunula ab eo separatur; non enim habetur ut vas sacrum.

Quælibet vasa sacras species continentia nullibi reponi debent nisi super corporale, ut fert consuetudo ubique recepta: secus quando sunt vacua.

Vasa autem oleorum sanctorum, capsæ reliquiarum, etiam SS. crucis, corporale non requirunt.

7° Tabernaculum, de quo supra locuti sumus, specialiter etiam benedicitur, et benedictio ejus inter benedictiones episcopales in Rituali Romano inscribitur.

8° In eo collocari non possunt reliquiae sanctorum aut venerabilis Crucis, nec ostensorium aut ciboria vacua, sed ea duntaxat vasa in quibus sanctissimum actualiter existit Sacramentum. Sic generaliter Ritualia, et in primis Romanum, permittens tamen, si aliter fieri non possit, ut vasculum, in quo olea sancta continentur, intra tabernaculum, una cum venerabili Sacramento, ad latus, juxta et non supra corporale reponatur.

9° Mandat præterea ut claves tabernaculi nulli unquam laico credantur, nec in sacristia relinquuntur, sed solus parochus vel alius sacerdos de illius licentia curam earum habeat, « nec unquam permittat ab ullo, qui non est saltem subdiaconus, claudi et aperiri dictum tabernaculum. »

§ III. — Corporalia, palla et purificatoria.

1° Corporale, ita dictum quia corpus Christi involvit, primitus vocabatur palla, *manteau*, quia totam mensam altaris tegebat, ut in Ordine Romano VI, n. 7, expresse narratur, et quando cooperiendus erat calix, super illum plicabatur. Cum enim in primis sæculis magna specierum panis et vini quantitas consecranda erat, oportebat ut amplum esset corporale; decrescente autem hac quantitate, imminutum est corporale, et tandem reductum fuit ad eam quam nunc habet formam.

2° At sic contractum calicem cooperire non poterat: tunc versus decimum tertium sæculum cœpta est haberi palla a corporali separata, qua cooperitur calix. Non tamen censetur quid a corporali distinctum, et eadem benedictionis forma sanctificatur.

3° Corporale « ex puro lino contextum esse debet, inquit » Ordo Romanus citatus, quia sindone munda corpus » Christi legitur involutum in sepulcro. » Potest etiam esse ex cannabe, ut asserit *S. Ligorius* cum pluribus aliis, non vero ex serico aliove panno, saltem quoad mediam

partem, qua hostiam vel calicem tangit; nam in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum; Decret. S. R. Cong. diei 15 maii anni 1819.

4^o Quod dicimus de materia corporalis, dicendum est pariter de palla saltem de parte quæ calicem immediate tangit: nam, juxta multos et usum apud nos receptum, in parte superiori auro vel serico constare potest. Citatur tamen decretum S. Cong. Rit. 22 januarii 1706, in quo dictum est: « In sacrificio missæ non adhibenda est palla a parte superiori drappo serico cooperta. » Unde in Italia alias non vidimus pallas nisi ex mundissima tela duplicata, amylo sicut corporale linita, et ope chartæ insertæ solidata, *Suarez, Tournely, S. Ligorius* et alii communiter dicunt celebrare sine corporali et palla, aut cum eis non benedictis, mortale esse peccatum, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Minor tamen requireretur necessitas ad celebrandum sine palla benedicta quam sine corporali, quia palla sacras species immediate non tangit. Unde plures apud *S. Ligorium* dicunt quod si palla desit, aut per quadrantem expectari debeat, loco ejus adhiberi possit aliud corporale, aut purificatorium, aut bursa.

5^o Mos olim in pluribus ecclesiis exstitit, a *S. Cajetano* et *Paulo IV* summo pontifice in decimo sexto sæculo in vectus, duplicem adhibendi pallam, unam ad cooperiendum calicem, et alteram super qua collocaretur hostia ante et post consecrationem, donec supponeretur patena, juxta rubricas. Hic usus adhuc viget apud Theatinos a *Paulo IV* institutos, ex privilegio a *Clemente VII* concessio.

Merati et alii non pauci, contra alios, censent unumquemque sacerdotem posse hanc observantiam sequi, et refertur *Card. Baronium* id alicui ad praxim suasisse.

6^o Studiose et magna vigilantia curandum est ut corporalia sint nitida et munda: a gravi culpa excusari non potest sacerdos qui, ex negligentia, ad divinum sacrificium utitur corporali aut palla sordidis, quæ in mensa communi posita quemdam horrorem excitarent. Item invigilandum est ne corporalia ullum etiam minimum habeant foramen circa medium et partes in quas imponitur

hostia, Corporale ita laceratum ut non remaneat pars ad divinum sacrificium apta, eo ipso suam amittit benedictionem.

7^o Purificatorium, sic vocatum quia ad tergendum calicem adhibetur, debet esse *ex pura et candida tela*, inquit *Rituale Romanum*; ex lino vel cannabe, ex Decreto 15 maii 1819.

8^o Benedictio purificatorii nullibi præscribitur, nec forma ejus in *Rituale* aut *Missali* reperitur: multi tamen volunt ut illud simul cum mappis ex decencia benedicatur; et si seorsim benedicatur, assumenda sit forma benedictionis mapparum, mutando verbum *altare* in verbum *calix*. Sed communior praxis est ut non benedicatur, et sic definiit *S. R. C.* die 7 septembris 1816.

9^o Quamvis benedictum non fuerit, statim ac inseriuit non magis illud quam corporale aut pallam tangere licet, donec lotum fuerit. Eo deficiente, loco ejus adhibere liceret strophium mundum, quod postea ad profanos usus non converteretur; *S. Ligorius*, l. 6, n. 389.

10^o « Antequam corporalia, pallæ et purificatoria laicis » lavanda tradantur, prius ab aliquo in sacris constituto, » in sacristia vel in ecclesia, in eodem vase seu pelvi qua » calices et patenæ abluuntur, aqua calida semel et iterum » laventur, et deinde in cumulum torta, ut aqua bene ex- » primatur, quæ tota in sacrarium projicienda est; laicis, » id est monialibus, vel certe aliis honestis et adultis ma- » tronis tandem lavanda offerantur. » Sunt verba *Ritualis Romani*. Idem habetur in *Pontificali Romano*, allocutione ad subdiaconos ordinandos, et ibi præcipitur ut aqua lotionis in baptisterium, id est in piscinam vergatur. Eadem substantialiter reperitur dispositio in *Decreto*, parte 3, dist. 1, can. 40, et universali observatione confirmatur. Non videmus igitur qua ratione nonnulli auctores dicant secundam lotionem a persona non sacra fieri posse absque peccato, cum primam et secundam a viro in ordinibus sacris constituto fieri præcipiatur.

Plures affirmant laicum qui, absque licentia episcopi, primam lotionem faceret, mortaliter peccaturum; alii ta-



men communius censent peccatum fore solum veniale, secluso contemptu, et nullum si rationabilis adesset causa; quia non majus est peccatum sacra hæc objecta lavare cum debita reverentia, quam tangere: at communiter docetur ea sine causa excusanti tangere, esse duntaxat peccatum veniale. Ergo. Verum communis praxis est ut hæc a laicis prima et secunda vice non laventur sine licentia episcopi aut vicarii ejus.

Si sacra non existeret piscina, aut insufficiens esset, aqua lotionis in locum decentem projici posset, v. g., in cœmeterium, inter pavimenta ecclesiæ, etc.

§ IV. — Velum calicis, bursa, manutergium, etc.

1^o Rubrica, parte 2, tit. 1, n. 1, statuit ut sacerdos missam celebraturus, calicem parva palla linea et *velo serico* tegat. Veli hujus mentionem faciunt antiqui auctores, ut ostendit *Gavantus*. Ordinarie ex eodem panno conficitur ac casula: at si casula non ex serico, sed ex crassiore conficeretur panno, velum nihilominus sericum esse deberet ex Rubrica, ut observat *Romsée*.

2^o Super velo ponitur bursa coloris paramentorum, in qua est corporale plicatum: sic præscribit Rubrica citata. Cum ad ornamentum calicis pertineat, ex eadem materia ac velum fieri convenit, et ejusdem coloris esse debet ac ornamentum. Convenit insuper ut pars ejus interior panno serico simplicis et uniformis coloris, vel, ut fit communius, tela linea alba tegatur, propter honorem corporali sacramento debitum.

Utrumque, scilicet velum et bursa, una cum sacerdotibus ornamentis benedicuntur, et speciales pro ipsis non existunt benedictionis formæ.

Qui celebrant sine velo, et corporale deferunt sine bursa, non bene agunt, inquit *Gavantus*, attestans S. Pium V dispensavisse cum Hispauis ut corporale extra bursam ferre possent: non tamen probabiliter peccant, quia velum et bursa ob solam decentiam requiri videntur. Vide *S. Li-gorium*, l. 6, n. 395.

3^o Rubrica, parte 1, tit. 20, præscribit insuper, ad præparationem altaris et ornamentorum ejus, ut sint ad cornu epistolæ « parva campanula, ampullæ vitræ vini » et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hoc præparata. » Objecta ista non benedicuntur; sed reverentia erga divinum sacrificium exigit ea esse munda et nitida, ita ut ad mensam vulgarem decenter adhiberi possint.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE VESTIBUS SACRIS.

Præter vestem talarem consuetam gallice, *soutane*, quæ ad celebrandam missam necessaria est, vestes sacræ proprie dictæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula et biretum: in missa soleinni requiruntur insuper pro ministris et officariis dalmaticæ et cappæ.

1^o Amictus, sic dictus a verbo *amicire*, seu *cooperire*, in octavo sæculo introductus fuit, juxta communem sententiam, ad tegendum collum eorum qui altari serviebant; tunc enim omnes, laici et clerici, collo nudo incedebant, quod indecens visum est ad altare. Ratio mystica fuit ut vox castigata Deo consecraretur, ut dicit Pontifex in ordinatione subdiaconi, hanc vestem imponendo.

Paulo post amictus fuit habitus velut quoddam ornamentum ad instar veteris ephod, quia humeros et pectus involvebat. Romæ et in pluribus aliis ecclesiis capiti imponebatur, et ministri eo velut galea contra diabolicos incursus muniti, ad altare procedebant: qui ritus adhuc viget apud quosdam religiosos et in nonnullis ecclesiis tempore hiemis. Idcirco eum sumendo dicimus: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus*. Nunc, ex Missali Romano et ex aliis communiter Missalibus, capiti imponitur et mox ad collum declinatur, ut vestium collaria circumtegat: utraque igitur ratio mystica, castigatio vocis et sensuum custodia memoranda est.

Debet autem fieri ex tela alba, linea vel cannabia, duas